

DISSERTATIO ACADEMICA
HISTORIAM DOCTRINÆ
DE
AFFINITATIBUS CHEMICIS

EXHIBENS,

CUJUS PARTEM DECIMAM TERTIAM
CONSENSU AMPLISS. FAC. PHIL. ABOËNS.

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE GADOLIN,

CHEMIÆ PROFESSORE PUBL. ET ORD., COLLEGII IMP. MED. ASSESSORE ET
EQUITE ORD. IMPER. DE ST. WOLODIM. IN IV:TA CLASSE; AGAD. IMP. SCIENT.
PETROPOL. ET SOCIET. LIE. OECONOM. PETROP. MEMBRO CORRESP., SOCIET.
IMPER. NATURÆ STUDIOSOR. MOSCOVIT., SOCIET. IMP. OECON. FENN., ACAD.
CÆSAR. NAT. CURIOS. ERLANG., REGG. ACADD. ET SOCIETT. SCIENTT. HOL-
MIENSIS, DUBLINENSIS, UPSALIENSIS, GÖTTINGENSIS, SOCIET. ANTEHAC MED.
CHIRURG. ET PHARMAC. BRUXELLENESIS, SOCIETATIS PHYSIOGRAPH. LUNDENS-
SIS, SOCIET. MINERALOG. JENENSIS, SOCIET. SCIENT. NATURAL.
MAREURGENSIS MEMERO.

PRO GRADU

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS GUSTAVUS CHYDENIUS,
STIP. PUEL. OSTROBOTNIENSIS.

IN AUDIT. PHILOS. DIE XII DEC. MDCCCXVIII.

H. P. M. S.

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS,

Theses

29.

In variis corporibus inflammabilibus, praeter electricitatem — E, quæ ibi semper dominari videtur, simul adesse \pm E, indicant phænomena ignis, sub conjunctionibus eorum producta.

30.

Affinitas chemica inter duas substantias ponderabiles dependere videtur a quantitatibus electricitatum contrariarum in iis latentium; proportio vero partium in corpore composito saturato a qualitatibus electricitatum relativis.

31.

Ubi firmissimus habetur nexus corporum inflammabilium ea proportione conjugorum, qua, post oxidationem, mutua obtinetur saturatio five neutralitas; ibi in utroque connubio eadem esse videtur ratio electricitatum \pm E & — E.

32.

Nonnulla corpora inflammabilia inter se conjuncta, perdita parte electricitatum sibi propriarum, adeo decedere videntur de genuina forma, ut, quamvis pondere non increscant, magis similia evadant oxidis quam inflammabilibus. Sic in cinnabari & pseudogalena adesse non conspiciuntur hydrargyrum & zincum.

33.

Novas, quas per combustionem acquirunt corpora inflammabilia, affectiones ortum suum debere censemus electricitatibus additis vel subtractis; incrementa vero ponderum venire ab aqua gatis oxygenii, quæ electricitates advehat & secum substratis inflammabilium inferat,

34.

Quoniam non minus corpus inflammabile quam gas oxygenii parte electricitatum suarum destituantur, partem in combusto corpore retinent, non poterit dici, quod oxidatum corpus consistat ex radicali inflammabili & oxygenio. Quamobrem, ne anceps sit significatio vocis, substantias ex oxygenio in acidis & basibus salium residuas halomeleogenium acidi & halomeleogenium baseos nominavimus.

35.

Quæ per aquam oxidari possunt corpora inflammabilia similes subeunt mutationem, sive vi gatis oxygenii comburantur, ubi illorum — E cum hujus \pm E sub forma ignis abiit, sive per aquam fiat oxidatio, ubi pars aquæ cum eadem — E in gas hydrogenii transit. In utroque enim casu sociantur substrata inflammabilium cum ponderabili aquæ substantia per electricitatem oxido convenientem modificata.

legem, ut actio semper aequalis sit & contraria reactioni, propterea in corpore quocunque ex duabus substantiis composito, ubi æquilibrium habetur virium, neque majorem neque minorem esse posse attractionem chemicam unius substantie ad alteram, quam hujus sit ad illam (5t). Ulterius, consideratis phænomenis affinitatum duplicitum, quotquot patefacta esent, animadvertisit non mutari saturationem mutuam in commixtis duobus pluribus salibus æqualiter saturatis, sive permutentur partes eorum constitutivæ, sive invariata permaneat singulorum constitutio. Eam itaque ex necessaria consecutione adduxit conclusionem, quod sit in omnibus salibus neutris talis proportio quantitatum unius acidi ad singulas bases, qualis sit aliis cujuscunque acidi ad easdem bases secum saturandas. Sic cognitis per experientiam proportionibus partium constitutivarum in nonnullis connubiis, facili negotio etiam in pluribus aliis quantitatum rationes computando determinare potuit.

Examini primum subjecit sales ex *acido muriatico* & terris ad saturationem ipsi junctis formatos (5u), inter quos iudicavit muriatem calcis igne liquefactum sovere & calcem & acidum omni aqua privatum, propterea veram hujus acidi quantitatem haberi, subtrahendo pondus calcis e pondere salis liquefacti. Hinc facile quoque definire poterat quantitatem veri acidi in acido aquoso, quo datum calcis pondus saturatur, quinimo quantitatem acidi, in simili liquore acido alias saturante terras, quarum vera pondera per ignitionem obtinuit, (Inter has vero eum aluminam saltem non adhibuisse puram, vel inde patet, quod commemoret se se ex eadem,

per

5t) *Anfangsgründe der Stöchiometrie oder Mesfkunst chymischer Elemente* 1792. I Th.

5u) *Anfangsgr. d. Stöchiometrie*, III Th. 1793.

per acidum sulphuricum purum, perfectas obtinuisse aluminis crystallos). Comparatis deinde inter se quantitatibus partium constitutivarum in diversis muriatibus saturatis, invenit bases eorum talem efficere seriem, ut, posito pondere aluminæ, ad saturationem datæ quantitatis acidi muriatici necessario, = a ; & pondere magnesiæ eidem saturationi sufficiente = $a + b$, significandum sit pondus calcis æquivalentis per $a + 3b$ & pondus barytæ per $a + 19b$.

Secundum legem æquilibrii modo memoratam, ad acidum quoque sulphuricum saturandum sufficere deberent singulæ harum terrarum ex terminis istius seriei proportionaliter determinatae. Directis itaque experimentis exploraturus quantitates acidi sulphurici in sulphatibus terreis, posuit sulphatæ calcis ignitum e calce pura & acido perfecte sicco compositum esse. Ideoque, cognita quantitate calcis, facile detexit quantitatem acidi sulphurici saturantis, indeque definire potuit pondus veri acidi in dato liquore acido. Quo per magnesiam saturato, intellexit quantum in sulphate magnesiæ neutro adsit acidi. Comperit vero hoc apprime congruere cum valore quantitatis acidi, ex investigato pondere sulphatis magnesiæ igniti, computato. Similiter indagavit quantitates aluminæ & acidi sulphurici in sulphate aluminis saturato, atque in sulphate ejusdem acido, quam ab alumine non differre putavit. Sic vidit proportiones terrarum datam acidi sulphurici quantitatem saturantium adeo coincidere cum proportionibus earumdem in muriatibus, ut in sulphatibus saturatis, nec non in alumine reperiuntur partes 1,594 acidi sulphurici conjunctæ cum iis terrarum quantitatibus, quibus pars una acidi muriatici saturari poterat, adeoque simili fere serie significandæ es- sent rationes terrarum duo hæcce acida saturantium, excepta aberratione primi termini, valorem aluminæ sistentis, cuius quantitatem in muriate saturato respondere comperit quantitatæ aluminæ in sulphate acido.

Admo-

Admodum probabile ipsi fuit, quod significantur gradus affinitatis utriusque acidi ad singulas terras numeris 1,394 & 1,000, qui rationem quantitatum acidorum repræsentant, atque quod quantitates singularum terrarum, quæ datum acidi pondus saturent, similiter repræsentent affinitates earum ad acidum. Sic cum invenislet saturari unam partem acidi *muriatici* ex partibus 3,099 *barytæ*, 1,107 *calcis*, 0,858 *magnesia*, 0,734 *aluminæ*, his numeris significandas esse judicavit terrarum ad acidum muriaticum affinitates, iisdemqne in ratione 1: 1,394 auctis, sive numeris 4,320; 1,543; 1,196; 1,023, terrarum illarum ad acidum sulphuricum affinitates. Et has quidem aestimationes satis confirmatas habuit, cum consideraret nonnulla phænomena duplicitum affinitatum. Vedit enim commixtos disjungi, partesque suas commutare, *muriatem barytæ* cum *alumine*: ubi valores affinitatum quiescentium 3,099 + 1,023 = 4,122 minores habebantur valoribus affinitatum divellentium sive 4,320 + 0,734 = 5,054; *muriatem barytæ* cum *sulphate magnesia*, quorum affinitates quiescentes 3,099 + 1,196 = 4,295 < affinitatibus divellentibus 4,320 + 0,858 = 5,178, *muriatem barytæ* cum *sulphate calcis*, quorum affinit. qu. 3,099 + 1,543 = 4,542 < affinit. div. 4,320 + 1,107 = 5,427; *muriatem calcis* cum *alumine*, quorum affinit. qu. 1,107 + 1,023 = 2,130 < affinit. div. 1,543 + 0,734 = 2,277; *muriatem calcis* cum *sulphate magnesia*, quorum affinit. qu. 1,196 + 1,107 = 2,503 < affin. div. 1,543 + 0,858 = 2,401; *muriatem magnesia* cum *alumine*, quorum affin. qu. 0,858 + 1,023 = 1,881 < 1,196 + 0,734 = 1,930. Observavit insuper, tanto promtius plerumque succedere has mutationes quanto major sit illa inter valores quiescentium & divellentium affinitatum differentia. In phænomenis affinitatum simplicium nonnullas obtingere animadvertis anomalias, quas ex diversa terrarum propensione ignis materiam illigandi explicare conatus est. Sic vi-dens magnesiam ab acido quodam solutam difficulter, vi *barytæ*, præcipitari, nisi separationem ejus juvet caloris intensitas,

tas, alia sultus experientia, quod major producatur sub solutione magnesiae ultra quam barytae causticæ in acidis caloris gradus, judicavit barytam puram parum continere calorici latentis, hujus vero longe majorem copiam sibi adsciscere oportere magnesiam, antequam nudata exhiberi possit; atque ex simili causa, neque calcem, ope barytae ab acidorum societate secerni, nisi separationi simul faveat ebullitionis calor.

Cum detectas jam haberet quantitates veri acidi in vulgaribus acidis liquidis tam muriatico quam sulphurico, haec varia proportione aquæ diluendo, & mutationes ponderum specificorum ortas observando, cognovit quantum puri acidi adeset in liquoribus acidis eujuscunque ponderis specifici. Itaque saturato aliquo horum acidorum per alkali quoddam fixum, facile perspexit, quantum in sale neutro lateret veri acidi. In muriatibus & sulphatibus alkalium fixorum per ignem candefactis nihil suspicatus est reconditum jacere aquæ. Ideoque ponderatis his salibus, & sublato, e singulo toto, pondere acidi puri antea explorato, cognita habuit pondera alkalium, quibus veras significari alkalium quantitates confidentius judicavit, cum eadem nihil differre inveniret a ponderibus alkalium fixorum nadorum vi ignis siccatorum. Attamen agnoscendum est, non omni ex parte tutas suisce has indagationes, cum de obtinendis alkalibus perfecte puris non omnimodam adhibuerit RICHTER curam. Potassam enim, quam pro pura adhibuit, non nisi per solutionem cinerum clavellatorum in parva aquæ frigidæ quantitate, & evaporationem solutionis ad siccitatem, residuique ignitionem acquisiuit. Sodam sibi paravit ex tartrate potassæ cum sulphate sodæ, ex quibus commixtis cum obtinuisset tartratem sodæ crystallisatum, hunc ope calcis ultra resolvit, sodamque ita vinculis liberatam igne ad siccitatem rededit.

Proportiones inter duo acida, sulphuricum & muriaticum, quæ æqualem ammoniacæ quantitatem saturarent non difficulter obtinuit, cum ex utroque acido jam satis sibi cognito & data unius ejusdemque ammoniacæ liquidæ quantitate salia produceret neutra. Molesius habuit negotium, cum determinaret rationem partium in singulo sale ammonicali, utpote qui ignis vim, ad plenam siccationem, necessarii, sustinere non potuit. Indagando pondera specifica solutionum, & salium in variis aquæ quantitatibus, & partium eorundem seorsim ab aqua susceptarum, definere conatus est specifica pondera substanticrum solutarum, atque aquæ ab illis varie condensatæ, & multis inter se collatis observationum seriebus, existimavit esse veras proportiones partium salinarum in salibus neutrī proxime invenisse. Ex his tandem ad eam adductus est conclusionem, quod in muriatibus tria alkalia efficiant terminos progressionis arithmeticæ, adeo ut, cum pro data quantitate acidi muriatici = 1 poneret quantitatem ammoniacæ = a , quantitatem sodæ = $a + 3b$, esset quantitas potassæ = $a + 5b$. Hanc seriem quantitatum deinde nonnihil mutandam esse judicavit, cum observaret, simili omnino serie non repræsentari posse quantitates eorundem alkalium, datam acidi sulphurici copiam saturantes. Tantilla vero correctione obtinuit seriem, arithmeticā ratione progredientem, cuius termini bases alkalinas in muriatibus & sulphatibus æqualiter exhiberent, positis nempe a , $a + 3b + c$, $a + 5b + 2c$, ubi c valde parva esset respectu a & b , loco terminorum, nuper memoratorum. Ex quantitatibus alkalium unitatem acidi muriatici saturantium, hoc fundamento correctis, conclusit accurate satis significari hujus acidi affinitates ad potassam per 2,239, ad sodam per 1,699 & ad ammoniacam per 0,889. Propterea cum ubique esent affinitates acidi sulphurici ad affinitates acidi muriatici ut 1,394 ad 1,000, significabantur affinitates acidi sulphurici ad potassam per 3,121, ad sodam per 2,568, ad ammoniacam per 1,239.

Quam-

Quamvis vero cum phænomenis salium alkalinas habentium bases, congruere viderentur hi affinitatum inter acida & alkalia valores, in aprico tamen fuit, facta comparatione cum affinitatibus partium salia terrea constituentium, discrepare illos ab harum valoribus antea prolatis. Pro cognito enim habuit, vi ammoniacæ non præcipitari magnesiam, sed e contrario, vi hujus terræ, fugari ammoniacam e societate acidorum, quamvis major haberetur, ammoniacæ quam magnesicæ valor affinitatis. Vedit quoque solvi vinculum inter barytam & acidum muriaticum, vi majorum hujus acidi ad utraque alkalia fixa affinitatum, licet minores esent harum affinitatum valores, similiterque potentiores esse affinitatem inter acidum sulphuricum & calcem, quam inter idem & potasiam. Ex experientia quoque innovavit, commutari partes constitutivas mixtorum secundum invicem muriatis calcis & sulphatis potasæ, quod ex rationibus affinitatum modo expositis non expectaretur. In hisce enim salibus habetur summa affinitatum quiescentium = $1,107 + 3,121 = 4,228$ major summa affinitatum divellentium = $1,543 + 2,239 = 3,782$. Has vero anomalias ita mederi studuit, ut numero quodam, quem divisorem affinitatis appellavit, proportionaliter diminueret valores affinitatum alkalium in seriebus modo appositis repræsentatos, tandemque invenit numerum $3\frac{1}{7}$, sive $\frac{892}{289}$ proposito ita sufficere, ut per ipsum divisis singulis terminis serierum alkalinarum, obtineret valores affinitatum inter acida & alkalia exacte respondentes valoribus affinitatum inter acida & terras, antea inventis. Sic æstimavit esse affinitates

ad potasiam, sodam, ammoniacam

ACIDI SULPHURICI:	—	1,025	—	0,776	—	0,406
-------------------	---	-------	---	-------	---	-------

ACIDI MURIATICI:	—	0,734	—	0,557	—	0,291
------------------	---	-------	---	-------	---	-------

Ne

Ne vero absonum videretur, quod potassæ atque aluminae æquales tributæ sint ad acida affinitates, monuit præcipitationes hujus terræ per alkalia peragendas, semper vi duplicitis affinitatis fieri, videlicet secretionem juvante calorico potassæ. Similiter ex majore acidi muriatici quam acidi sulphurici ad caloricum affinitatem interpretandum esse censuit, quod & aluminam & alkalia & magnesiam in frigida temperatura fortius ab acido muriatico quam ab acido sulphurico attrahi videret, cum accidente calore superior ubique esset vis acidi sulphurici, quod, si abundatiore adsit quantitate, ut in alumine, ne in frigore quidem terram acido muriatico cedit. Reliqua phænomena, quæ ab inæquali calorici ad diversas substantias affinitate derivare voluit, sicco, ut ajunt pede, præterimus, existimantes ex hypotheticis ejus & hac de re, & de efficacia phlogisti prolatis argumentis parum lucis scientiæ accessisse.

Acidum nitricum, quod in nitrate potassæ per ignem rubefacto ab omni fere aqua immune esse putavit (5x), qua quantitatem ita determinavit, ut e pondere nitratis substrahebat pondus potassæ puræ, quam in illo latere compererat. Explorato inde valore acidi cuiusdam nitrici liquidi, alios examinavit nitrates, & in his quoque observavit, quoniam balsium æqualem acidi quantitatem saturantium, nonnullis adhibitis correctionibus, reduci posse ad terminos seriei arithmeticæ, iis similis, quæ acidis muriatico & sulphurico convenient: & heic similiter discrepare seriem quantitates terrarum exhibentem ab ea quæ alkalium ostenderet quantitates. Comparatis vero inter se quantitatibus trium acidorum, quæ datum basin saturaverunt, intellexit eas non esse viribus affinitatum proportionales, proptereaque novam poscere indaginem, antequam accurate satis definirentur.

Inter

5x) *Stoechyometrie*, III Th.

Inter sales per acidum fluoricum formatos, fluas calcis aptissimus ipsi videbatur pro quantitate acidi puri determinanda. Et cum comperisset, salvam manere neutram salium conditionem, utcunque inter se commixti fluates, muriates & sulphates saturati, ceterum per duplices aut multiplices affinitates qua suas mutarentur constitutiones, certior factus est, quantitates basium cum data quantitate acidi fluorici ad saturationem conjungendarum computando determinari posse ex terminis ferierum, quas ceteris acidis convenire noverat (5y). Experimentum analyticum in fluatem fodæ institutum cum hac theoria exacte quadravit. Perparum quoque ab eadem abluit examen fluatis potassæ. Similiter ostenderunt tentamina cum fluatibus terrarum facta, terras saturantes eandem sequi rationem quantitatum æ in muriatibus & sulphatibus, consimilisque sistere progressionem seriei, excepto, quod aluminæ in fluate saturato quantitas, novo seriei termino significanda esse videretur, sive numero $a + 4b$, cum repræsentatæ esent quantitates magnesiae, calcis & barytæ per numeros $a + b$, $a + 3b$, $a + 19b$. Sed observavit simul, fluatem aluminæ saturatum cum muriatibus aut sulphatibus mixtum, viribus affinitatum duplichum nullatenus mutari. Immo in saturatis sulphatibus & nitratibus peculiari quoque termino seriei, sive numero $a + 6b$ repræsentari vidit quantitatem aluminæ, adeo ut ubique a regula affinitatum duplichum ceteris basibus conveniente decidere videretur indoles hujus terræ. (Notandum vero nobis est, quod, ad omnia sua, cum acido fluorico instituta experimenta, adhiberet RICHTER acidum silica onustum, cum illo tempore nondum satis cognita esset natura acidi fluorici puri).

Sic

5y) *Stoechyometrie VI Th.*